

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

RECTO CORTICIS
CHINÆ VSV IN FE-
BRIBVS

QVAM

PROPOSITIO SVMMO NVMINE

SVB PRÆSIDIO

DNI FRIDERICI HOFFMANNI

ORDINIS MEDICI SENIORIS ET h. t. DECANI

PRO DOCTORIS GRADV

RITE OBTINENDO

Ad d. Februarii A. R. S. A. M DCC XXIIIX.

Solenni eruditorum examini sistet

Gottfried Wilhelm Hornemann,

Neo-Hallenslebiensis Magdeburgicus.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

—DIRECTION OF THE BOARD OF WORKS—

RECTO COR TIO CURIA 224 IN TE RIVIVS

THESE ARE THE
WORDS OF THE

CAUSE OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE


OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE

OF THE HONORABLE

THESE ARE THE
WORDS OF THE





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
RECTO CORTICIS CHI-
NÆ VSV IN FEBRIBVS

§. I.



EA quidem innata quasi
& per manus tradita tantum non
omnium animis hæret opinio: da-
ri certas medicinas, ad hunc vel
illum morbum sanandum aptas
semperque salutare; nec quisquam
fere ex doctis, æque ac indoctis est,
qui non Empiricum agat, & viso quodam ægrotante,
salubre remedium in promptu habeat idque ultro commen-
det. At vero, erronea utique atque perversa hæc est sen-
tentia, contra quam, ceu genuinum temerariæ Empiriæ
fundamentum, merito omni pugnandum studio. Vti
enim in univèrsa rerum natura corporum vires & effectus
non dantur absolute tales: ita etiam nec alimentorum,
nec pharmacorum facultates sunt absolutæ, sed omnes
relativæ, conditionatæ & limitatæ, respectu scilicet cor-
poris humani vivi, in quod agunt & cum quo operatio-

nein suam exsequuntur. Hinc quippe est, quod, experientia teste, medicamenta eodem modo, tam ad juvandum, quam ad nocendum, sint apta; & quod omnia, quibus Medicus utitur præsidia, ita sint comparata, ut nonnullis profint, nonnullis vicissim, in eodem etiam morbo, obfint.

§. II.

Professus id jam pridem est antiquissimus artis nostræ parens HIPPOCRATES, *lib. de art.* § 6. ita differens: *non quisvis cognoscere potest ea, quæ commodo & decremento sunt. Et sunt nihilominus ea, quæ damno fuerunt, quam ea, quæ opem tulerunt, in testimonium arti, quod ars ipsa sit. Quæ enim profuerunt, ob rectum usum profuerunt; quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt.* Neutiquam scilicet gravis hic auctor omnis generis medicamentis absolute certam adscriptam salutis afferendæ virtutem, sed certò tantum respectu, nec ob id profuisse edixit, quod in certo morbo exhibita, sed quod recte, hoc est, cum iudicio, non modo explorata prius corporis ægrotantis natura morbique causa & indole, sed & convenienti tempore, ordine, dosi ac proportione, usurpata, neglectis vero hisce cautionibus, nocuisse. Quumque adeo sint medicamenta, quæ & damnum, & auxilium afferre queant, dari artem, recte omnino colligit, atque ex eo penitus atque præstantem iudicat Medicum, qui diversos remediorum effectus variasque operationes probe discernere novit.


§. III.

Propterea vehementer oprandum, ut quisque medentum verissimum hoc HIPPOCRATIS effatum curate pensaret ac ad usum transferret. Sic sane expiraturæ demum forent opprobriosa illæ in hunc usque diem inter Medicos de remediorum virtutibus vigentes discordiæ atque dissensiones. Nam turpe quidem dictu, aut verissi-

num. plebeios non tantum & rudes, verum eruditos etiam magnique nominis Medicos, raro admodum in determinandis viribus, effectu & usu medicaminis cuiusdam, in hoc vel illo morbo convenire, sed alios miris illud dilaudare encomiis, alios contra idem, in eodem morbo, damnare prorsus atque rejicere. Nemo non novit, quam diversis, immo perversis iudiciis; potissimum exposita sint ipsa valida & heroica sic dicta remedia, uti quidem maxime sunt ex mercurio parata, emetica antimonialia, martialia opiata, drastica purgantia, narcotica, ex chirurgicis, vesicatoria, fonticuli, setacea & venæsectiones, quin quod magis mirandum, ex simplicissimis & diætericis, fontes medicati calidi & frigidi, balnea, lactis cura & cura per inediam.

§. IV.

Idem hoc fatum expertus est allatus ex America in Europam ante LXX. circiter annos cortex, china china dictus. Mirum erat, quanto applausu hic primum excipiebatur, quantisque encomiis, ceu certum & incomparabile ad vincendam intermittentium contumaciam præsidium, ornabatur, nec desunt, qui hodiernum magno illum habent in pretio atque honore. Sed non minori agmine surrexerunt, qui eundem impugnarunt & ceu infercurum, quin plane noxium, venditarunt & adhuc infamare non erubescunt. Plura quidem in utramque partem prodierunt scripta, experientiam ipsam in partes passim vocantia; nos tamen ita potius censendum esse a bitramur: optimum, efficacissimum & tutissimum esse hoc remedium, si quis, secundum allegatum HIPPOCRATIS edictum, eodem recte uti sciat; valde vero noxium & insegurum, quando empirice, hoc est, imprudenter, imperite, nulla corporis ægrotantis, causæ febrilis, temporis & aliarum circumstantiarum ratione habita, usurperur. Quod ut eo testatius pateat, elegimus hoc argumentum



in dissertatione præsentis inaugurali, propitio Numine divino, penitus paullo evolvendum, ita quidem, ut adducamus primum testimonia eorum, qui magnifice de hoc cortice sentiunt, his deinde adiungamus observationes & rationes eorum, qui illum noxium, insidum & inscurum esse asseverant, postea ex rationali febrium doctrina causarumque quæ has movent explanatione, nec non principis & modi agendi nostri corticis, & nocivam, & salutarem, ipsius facultatem, evictam demus, simulque ad dissentientium obiectiones solide atque modeste respondeamus.

§. V.

Sunt vero oppido multi, qui in laudes huius Peruviani corticis eunt. Ut primum enim in Europam delatus, Romæ innotuit & a Patribus Societatis Jesu, ut præsentissimum febrifugum, caro admodum pretio divenditus fuit, in schedula, modum usurpandi habente, de eodem iactarunt: quod omnes fere intermittentibus, etiam quartana, laborantes, purgato prius, si opus fuerit, corpore, sine ulla alia adhibita medicina, liberaverit. BARTHOLOINVS *Cent. V. hist. 50*, Cardinalem de Lugo, plus mille testimonia, hoc cortice anno MDCLIII, quo quartanæ duplices & simplices grassata, curatorum habuisse, memorat; de FONSECA vero, celeberrimo sui ævi Medico, ibidem refert, quod exploraverit nostrum corticem eundemque non innoxium tantum, verum etiam saluberimum deprehenderit. FR. REDI *de experim. nat. a. 143*, miraculosum huius corticis effectum vocat, & TOZZI *comment. in aph. XXV. sect. II.* perhibet: febres quartanas, quas antea Medici longissimas & fere immedicabiles habuerunt, hac nostra ætate, unius corticis Peruviani ope, cito tutoque fugari.

§. VI.

Ex Italia in Galliam pervenit postea huius febrifugi
noti-

notitia ibidemque varia pariter sustinuit experimenta, tam felici tamen successu, ut ipsi Regi ac regio Principi, febre laborantibus, non semel, sed aliquoties, insigni cum fructu, potissimum a TAGOVLTIŌ, sit oblatum. Eodem quoque tempore in Anglia ipsius fama percrebuit, applaudentibus tantum non omnibus. WILLISIVS quippe de feb. cap. VI. disertis scribit verbis: ex centum hoc remedio usis, vix unum non convaluisset. Cui accedit illustre illud Angliæ decus ROBERTVS BOYLE, in *tr. de philos. experim.* fidem faciens: se una vel altera dosi corticis febrifugi, ad drachmam unam propinati, sæpius quartanas, quæ per annum durarant, abegisset. Quin DYGBAEVS *tr. de medic. secret.* sancte affirmat: ex triginta quartana detentis, quos hoc remedio liberavit, ne vel duos in eandem relapsos, & addit: culpandum potius esse Medicum, quam nobile medicamentum, si post eius exhibitionem unquam revertatur febris. Ipse felix ille & circumspectus Practicus SYDENHAMVS, in *tr. de febr. mirifice*, ceu optimum remedium, hunc corticem extollit & methodum eadem recte utendi fuse tradit. Magno etiam adhuc apud Anglos est in pretio, uti patet ex FREINDII, LISTERI, nec non MORTONIS scriptis, qui in *tr. de febribus* ita disserit: *cortex Peruvianus, consensu Medicorum hodie omnium, est catholicum febrifugum, quod omnes febres intermittentes, in quavis anni temperate, in omni ætate & temperamento, penitus, cito, tuto & feliciter sanat, neque opus est, ut Medici ingenia sua amplius torqueant in febrifugis explorandis.*

s. VII.

Quin in omnibus fere Europæ regionibus corticis huius virtus ut spectata enituit. Inter Helvetos quidem Medicos multum ipsi detulit MYRALTVS & M. N. C. Dec II. An. IIX. obs. 2. aliquot inseruit historias, quod eodem, tam in senibus, quam in pueris, tertianas & quar-

tanās

tanus curarit, tandemque enarrationi finem his memoratu dignis verbis imposuit: *in immensum volumen excreferet, si, quae curae nostra ex hoc pulvere experientia alienaque facie, describere satageremus.* In Belgio celebres & peritissimi Medici plurimi hoc nostrum antifebrile fecerunt & adhuc faciunt, cujus testes citamus BOERHAAVII & DECKERI scripta. Potissimum in nostra etiam Germania corticis chinae ad debellandas intermittentes ulus ut laudatissimus, fuit celebratus, ejusdemque efficaciam salutarem tam BOHNIVS in *dissert. de minus suspecta februm fuga*, quam BERGERVS *diss. de cortice chinae ab inquisi. iudiciis vindicatio*, pluribus & solidis argumentis asseruerunt. Fuit praeterea frequenti in usu WALDSCHMID.O atque DOLAEO, nec non celebri quondam Ducis Vinariensis Archiatro ZAPFIO, qui electuario antifebrili, cujus basis chinae cortex, & famam & opes acquisivit, eodemque adhuc ipsius gener, Dn. STREIDEL, clarus atque peritus in arte nostra vir, non minori crebrius utitur successu.

§. II. X.

Contra ea, sunt pariter & fuerunt permulti, periti, etiam, docti & clari Medici, qui minus favent huic corticis, illumque infidum, insecurem, quin plane noxium vocare medicamentum, haud erubescunt. Videas complures, qui experientia & observationibus fidem sibi praestruere contendentes, asserunt: usum Peruviani corticis non modo recidivas longe graviores, sed & novos profus & incurabiles morbos insequi, cachexiam scilicet, tumores pedum oedematosos, hydropem, pertinacem alvi obstructionem, praecordiorum angustiam, pathemata hypochondriaca & hysterica, febres lentas & haecaticas, cum virium prostratione, appetitu dejecto & tabe, in pueris nonnunquam convulsivos & epilepticos morus. Inprimis acriter in febrifugum nostrum invehit BAGLIVVS

opp. lib. II. perhibens: febrem tertianam nonnisi elapso decimo quarto die, quo quidem sponte finiatur, febrifuga pati, & irritato profus conatu ante illud tempus remedia quavis, vel sine fructu, aut certe non sine ingenti damno adhiberi. Medicos intempestive febrifugis febrem veluti in ovo iugulare conari, quum paucis interiectis diebus, vel ipsa redeat velocius, vel eius loco quamplures gravissimi morbi, asthmata, hydropes, febres lentæ, phthises aliaque gravissima mala emergant.

§. IX.

Idem fere ex nostratibus censet ETTMULLERVS, qui *opp. tomo II. pag. 277.* chinam non solum infidum vocat remedium, sed etiam *pag. 398.* asserit: ordinarie fere alvi præclusionem, tumorem abdominis eiusque duritiem atque dolores tensivos consequi solere, iisdem que vel successive remittentibus, vel per purgantia, aut spiritum salis ammoniaci irritatis, eandem febrem similem, interdum intensiore frigore, recurrere. PALLIUS quoque in epistola ad BAGLIVVM scribit: Gallos quidem feliciter china chinæ in febribus uti, sed minime id suadendum in agro Romano, quin ridet huius corticis usum, nisi in fine ad roborandum stomachum adhibeatur. Plura præterea de noxa huius antifebrilis remedii memoria consignata exempla evolvi possunt in BLEGNY *Zodiac. Gall. med. phys. An. IV. mens. August. Anno. V. mens. Januar.* nec non in M. N. C. *Dec. III. Ann. IX. obs. 109. item Cent. III. p. 52.* Et nostro demum hoc ævo, et STAHLIUS tam in *theoria med. quam opusc. physico-med. p. 432.* neque minus ex STAHLIO, IVNCKERVS in *consp. medic. theoret. pract. pag. 261. sqq.* & passim chinæ in febribus usum & impugnarunt & reiecerunt. Quin nosmetipsi testamur, corticem hunc, promiscue atque empirice usum, multum detrimenti intulisse, & vel recidivas ægre expugnabiles, vel alios sæviores morbos, potissimum post quartanam hy-

dropem, post tertianam pathemata hypochondriaca, accessisse.

§. X.

Interim tamen neutiquam cum iis facere possumus, qui hunc corticem absolute & fere semper noxium in febribus esse censent eiusque usum rationibus quibusdam infestum plane reddere conantur, quasi febrium indoli, sa' utari successui ipsiusque naturæ intentioni contrarius esset atque inimicus. Putant scilicet, febrem nihil aliud esse, quam exacte methodicam naturæ medicationem, qua auctiori solidorum & fluidorum motu, causas, quæ febrem movent, per congrua secretoria & excretoria e corpore proscribere nititur. Ad hoc ex voto perficiendum opus esse humoribus fluxilibus viisque apertis; adstringentia autem, quibus cortex Peruvianus accensendus sit, succos fluidos incrassare, excretoriorumque tenues canaliculos angustare, quin occludere, ideoque retineri, iis usurpatis, morbificam in corpore materiam, ac recidivas, vel graviore alios morbos, ciere.

§. XI.

Autumant porro, præcipuam providæ naturæ in intermittentibus esse intentionem, ut redundantem sanguinis vitali conservationi semper infestam copiam, auctiori intestino calido, ex progressivi acceleratione resultante motu, dissolutoria quadam in serum excrementitium resolutione, imminuat simulque fortiori appulsu, viscera ab inhærentibus vitis atque obstructionibus liberet. Atque adeo motus hosce febriles esse præsidio ac medium, quò morbi curantur, graves arcentur & ea quæ vitæ insidias struunt eliminantur, nec ea propter, nisi cum ingenti damno, sisti ac cohiberi. Adhæc anceps admodum esse molimen, susceptum sapienter naturæ, in expellendis per secretoria & excretoria, noxiis, opus, turbare, impedire planeque contrarium adstringentibus inducere

ducere effectum, quem non possint non, præter pessimas recidiuas, acerbiora longe pathemata, hypochondriaca scilicet, hysterica, lentæ febres, obstructions viscerum, icterus, cachexia, hydrops, melancholiæ quoque & pertinaces alvi obstipationes, presso pede insequi.

§. XII.

Et quod maximum esse volunt, tertianæ mineram prima in regione, seu ventriculo, tenuibus, præsertim primis, intestinis, nec non adjacentibus organis, mæfariæcis nempe vasis & glandulis, consistere perhibent. Hæc autem quum ut plurimum viscidus & tenax humor sit, provido certe consilio stringi in principio porosas & externas partes, sanguinem ad interiora agi ibidemque aliquandiu detineri, quo sufficiens humoris seroso-lymphatici quantitas per tunicas & glandulas viscerum in ipsorum cavitates transfudet ac postea partim liquandæ & emolliendæ febrili materiæ, partim ipsi eo commodius egerendæ serviat. Hinc colligunt, perniciosâ esse omnia ea, quæ motus hos tam apprime morbi causæ oppositas sistunt, febrilem illum lentum primis in viis humorem spissiozem reddunt & excretoria constringendo utilissimas secretiones atque excretiones tam per alvum, quam urinam & cutis spiracula, sufflaminant & cohibent. Id vero præstare chinæ manifesto constringentis naturæ corticem, hinc rejiciendum & usurpanda potius ea, quæ naturæ opus juvent, febrilem materiam solvant, & redundantem sanguinem dissolvendo omnisque generis excretiones promovendo, a materia quæ in vitio est corpus liberent, non vero eandem, febrilibus tantum motibus suppressis, cum periculo reprimant.

§. XIII.

Sic quidem ratiocinantur corticis nostri adversarii, & fatemur sane, primo intuitu, hæc nonnullius videri momenti; an vero sint tanti, ut medentes penitus ab e-

iisdem usu deterrere possint, paulisper jam perquirere juvabit. Nititur autem omnis propemodum argumentatio supposito principio, quasi corpori inesset agens quodam, quod prævia intima cognitione, rationali postea intentione, ad certum finem, motus vitales, e quorum familia etiam febriles, nec non remediorum effectus, efficiat ac dirigat. Sed tantum certe abest, ut eiusmodi principium in rationali medica theoria æque ac praxi ullo modo locum habere, aut quicquam utilitatis præstare possit, ut potius in explicandis intelligenter & demonstrandis medicis rebus, nec non invenendis & applicandis remediis, confusiones & errores inducat. Hinc merito in genere omnes eiusmodi loquendi formulæ, quod salutaris naturæ intentio moruumque ad certum finem directio medicamenti turbetur, quando quidem rationes, non verba danda, in disquisitione morborum medica prorsus rejiciendæ, nisi forsan improprie & metaphoricè ita loqui allubescat.

§. XIV.

Hoc qui tenet, facile conicere poterit, quid de concitatis ab hoc principio febrilibus motibus sit sentiendum. Dicunt quidem, hos in se & sua natura esse salutaris; sed ita potius sunt comparati, ut perniciem intendent & sapientem naturam imprudentiæ, quin plane dementiæ, aperte arguant. Equis enim in arte exercitatus est, qui ignoret, illum in febris omnibus obvium a circumferentia ad centrum motum, cum vehementi partium externarum ac nervosarum spasmò & convulsiva quadam agitatione, pertractò simul in consensum universo nervorum systemate, fieri, & cum tam gravi omnium functionum læsione, quin ipsius mortis periculo, accidere, ut qui intermittentibus decedunt, sub hoc ipso pereant. Sane, si pro arbitrio motus vitales dirigere posset agens hoc, tutius longè & facilius foret, sine tam perni-

perniciosa spasmō universali habitusque corporis constrictione, copiosorem sanguinis & humorum motum ad morbi sedem sensim, amica magis ratione, amandare atque dirigere. Et quamvis tantisper largiamur, febres, præsertim quæ intermissionem habent, corporibus crassis, copiosis & impuris succis sætis, quandoque præstare medicinam & imminentes ex viscerum opplerione longas & graves affectiones, motu humorum progressivo extraordinarie cum intensiori calore aucto, arcere: ne utique tamen omnes intermittentes sanguinis & succorum abundantiam, impuritatem, nimiam spissitudinem, aut viscerum infarctum juncta habent, multo minus hæc veram & adæquatam febrium causam & materialem fomitem constituunt, ut nec ea propter opus sit, tam impetuoso solidorum & fluidorum motu, atque humorum vitalium dissolutione.

§. XV.

Quod porro ad illud assertum attinet: naturam maxime in febribus occupatam esse, quo sanguinem redundantem, dissolutoria quadam per motum intestinum resolutione, in corporis salutem imminuat; propterea & quidem recte negamus, sanguinis & humorum abundantiam febrium causam esse. Hoc enim si esset, plethorici frequentius sane febricitarent, & omnis generis febres tempestiva venæsectione certo ac cito arceri possent atque præscindi. Eveniens autem sub febre sanguinis consumptio & in partes excrementitias dissolutio, est potius effectus & necessarium consequens febrilis caloris, naturæ plus inimica, quam amica, quia simul vires, a quibus motuum vitalium vigor pendet, dissipat ac destruit.

§. XVI.

Ejusdem commatis est illud, quod humores crudi, viscosi, tenaces ex depravata maxime digestionem oriundi & in primis viis hisque conterminis organis hærentes, fo-

mitem præbeant intermittentium. Rarissime enim evenit, ut ob vitium in diætâ commissum, vel pravam digestionem, intermittentes gignantur. Longe magis vero copiosi acres, biliosi prima in regione succi, tertiana laborantibus molestias creant, imprimis quum observemus, & juvenes, & cholericæ constitutionis homines, nec non iracundos, sub æstate ferventissima tertianis corripri, & his vomitus biliosos, dejectiones biliosas, solennes admodum esse urinasque flammei coloris, ob admixtas copiosas sulphureas & biliosas particulas, secedere. Ac licet demum nosmet ipsi vehementer improbemus adstringentium in cuiuscunque etiam generis febribus usum, minime tamen concedimus, chinæ corticem, cum iudicio, habita naturarum & circumstantiarum ratione, debito ordine ac tempore oblatum, talem præstare effectum, ut potius, uti fufius infra docebimus, ad promovendas excretiones ipsamque perspirationem liberiores reddendam, eundem aptissimum esse remedium, asserere non dubitemur.

§. XVII.

Iam non incongruum, aut infructuosum erit, ut nostram de intermittentibus earumque generatione promamus theoriam, quo postea eo melius de methodo iis medendi accommoda & de remediis adversus ipsas idoneis iudicare queamus. Id vero primo omnium tenendum, quod experientia constat, rarissime scilicet intermittentes unum vel alterum individuum ex vitio diætæ, vel digestionis invadere, sed plerumque grassari epidemice & ex præcedente insolita diurna calida & sicca aëris intemperie oriri, tum quidem, quando corpus incautius vel borealibus ventis, vel auræ frigidiori & humidiori, sole maxime occiduo, exponitur, ut inde frigus notabilemque persentiat horrorem. Pari ratione plura novimus loca, humiliora nempe, paludosa, compluviis, stagnis atque

que piscinis cincta, crebro febrium proventu adeo infecta, ut indigenæ & advenæ perpetuo fere omnique anni tempore iisdem exerceanur & tardius ac difficulter sanescant, nullam certe aliam ob causam, quam quod ob aërem eiusmodi in locis densum, frigidum ac humidum insectorumque copia refertum, perspiratio languescat & sufflaminetur. Nulla enim unquam febris, præsertim intermittens, vel etiam catarrhalis, arthritica, rhevmatica, nisi post imminutam & cohibitam excretionem cuticularem, accedit, nulla facile recidiva, quam hoc facto, repetit, neque minus etiam febrilis morbus eo gravior & diuturnior esse solet, quo magis hic saluberrimæ evacuationis successus interceptus atque cohibitus.

§. XIIX.

Igitur, quando ingens recrementorum per poros cutis eliminandorum copia, sive ex aëris intemperie & præternaturali constitutione, sive ex malo in animi affectibus & victus ratione regimine fuerit contracta, perspiratio autem, quæ pro tanta sordium activæ, halituosæ & salino-sulphuræ indolis, multitudine necessario sufficiens, quin auctior esse debuerat, contractis nervosis & excretoriis cutis tubulis, valide potius impeditur, fit utique, ut motus seri excrementitii aliorsum & ad interiora vertatur. Quod quidem, sicuti in febribus catarrhalibus, ad glandulosam narium, faucium & bronchiorum loca, in rhevmaticis & arthriticis ad membranas musculorum & nervoso-glandulosa artuum ligamenta, in diarrhoeis ad intestinorum tunicas evenit: ita intermittibus in febribus idem ad abdominis secretoria & depuratoria viscera, hepatis nempe, pancreas, ventriculi & intestinorum glandulas & glandulosas tunicas contigit. Hæc vero confluentis maligni humoris, fermentales, lymphaticos, salivales & biliosos, digestionem & chylæ elaborationem servientes succos, inquinat, corrumpit ac intemperatos reddit, qui

con-

congesti, in duodeni maxime cavo, mutuo confermentantes & cum eruditatibus vitiosæ digestionis permixti, mora peiorem nervosisque partibus valde inimicam indolem contrahunt. Sic depravati & tam per poros, quam tubulos, successive ad sanguinem delati succi, quando ad nervosas, quæ cerebrum & spinalem medullam cingunt membranas pertingunt, infesta sua indole, universalem demum in vasorum & nervosarum partium systemate spasnum concitant, qui febris essentiam constituit.

§. XIX.

Febris quippe nihil aliud est, quam affectus & effectus systematis nervosi præter naturam affecti. Etenim omnia illa, quæ sub accessione febris affigunt symptomata, dolor scilicet capitis dorsi, maxime circa primam lumborum vertebam, dolor contusivus omnium artuum, ingens lassitudo & languor, frigus, rigor, horror, totum quandoque corpus concutiens, summa præcordiorum anxietas, spirandi angustia, cum inquietudine, pulsus artierum contractus, celer, parvus, inæqualis, vomitus, vel conarus ad vomendum, sitis sæpe sub ipso frigore, alvi fortior strictura, vel etiam fluxus, in nonnullis stimulus ad mingendum, mentis quoque ac sensuum, quam *Dr. PRÆSES* sæpe observavit in senibus, præsertim quartana laborantibus, obnubilatio, fatis superque testatum faciunt, graviter læsum & affectum esse nervorum systema. Dum autem sub hæc symptomatibus ab exteriorum strictura, sanguis ad interiora & vasa maiora, pulmones, caput & cor urgetur, ipsa sua copia cordis muscolum ad vehementiorem pulsus celerioremq; systolen extimulat, quo fit, ut sanguis celerius & valide per vasa traiciatur, arteriarum motus vehementior & citatior micet, æstuque sic majori facto, spasmi nervosarum partium iterum laxentur, materia quæ hos excitat excutitur, sanguis ad
ambi-

ambitum corporis appellatur, & adaper-
tiss, remittente stri-
ctura, cutis spiraculis, sudor erumpat.

§. XX.

Hac ratione febris primum generatur atque succe-
dit, quod vero interposito aliquo tempore novus impe-
tat paroxysmus, ita concipiendum esse arbitramur. Con-
flata illa, ex corruptis biliosis & lymphaticis salivalibus,
cum indigesta alimentorum massa, succis, febris in duode-
no potissimum hærens materia, non omnis simul & se-
mel, sed successive, ad sanguinem & nervorum systema
transit. Deinde id quod ab hoc, ut ita loqui liceat, fer-
mento, restitat, ab affluentibus ex hepate, pancreate &
glandulis duodeni impuris succis, novum subinde accipit
pabulum ac nutrimentum. Tum intestino illo mirum
adaucto in paroxysmo motu, ipse sanguis & serum in
mucidas falso-sulphureas sordes fatiscit, quæ quum non
omnes die vacuo dissentur, intus manent & succos lym-
phaticos salivales ipsamque bilem inquinant magis atque
corrumpunt. Accedit, licet a nemine, quod scimus, an-
notatum sit, quod intercalari die pulsus admodum lan-
guidus & debilis, partes quoque externæ ipsaque cutis
magis frigida, quam calidæ sint, & perspirationem remis-
sam minusque sufficientem, intuitu sordium exvernenda-
rum, esse, luculenter arguant. Demum etiam verissimili-
simum est, universale illud nerveo-fibrosum & tubulo-
sum corporis emunctorium, cutem, tot impetuosis & pla-
ne contrariis spasticis, constrictoriis, subsequente nimia
remissione, motibus, nec non vehementi æstu, quoad tō-
num, robur & functionem suam admodum labefactari &
vitiari, ut saluberrimum illud excretionis periphericæ ne-
gotium, sub toto febris decursu minus recte succedat
ipsaque adeo sanguinis & humorum depuratio multum
elanguescat. Quibus omnibus junctim expensis, in
promptu est judicare, novum sic succrescentem sensim fo-

mitem, & certo interposito temporis spatio sufficienti quantitate collectum, novum iterum proritare febrilis paroxyfmi insultum.

§. XXI.

Quod autem rediens eiusmodi paroxyfmi, non in omnibus intermittentibus idem recursus tempus servet; sed vel singulis, vel ternis, vel quaternis diebus repetat, quandoque typum suum & accessionis periodum mutet, interdum etiam duplicet; id omnino ob impuritatam, ratione copix & indolis plus minus activæ & mobilis differentiam, largioremque vel parciorem earundem adprimas vias affluxum, nec non ob diversam viscerum, præsertim hepatis, lienis & pancreatis, conditionem & statum, fieri, censendum est. Luculenter certe id constitit elapso anno, quo, propter insolitam diurnam calidam & siccam ætatis & autumnæ constitutionem, per universam fere Germaniam febres grassaræ, quotidianæ, tertianæ & quartanæ, simplices & duplices, mirum anomalæ, nullam omnino aliam ob causam, quam diversam humorum indolem viscerumque constitutionem, pro varia temperamenti victusque eorum, quos invaserunt, ratione.

§. XXII.

Post intermittentium genesis & naturam, spectanda nunc adversus eas præsidia, quæ inter principem merito locum obtinet chinæ cortex, cuius ideo principia & quos in corpore vel cum emolumento, vel damno, præstat effectus, penitus paullo examini subijciemus. Est vero inter huius corticis elementa primo loco connumerandum, adstringivum. Patescit hoc ex sapore linguam constringente, quem tam pulvis ipsius, quam infusum cum aqua fervente factum, nec non liquor, affuso ipsi spiritu vini purissimo, confectus, exhibet. Idem quoque confirmatur chymico experimento, dum solutio huius corticis, adjecto

adjecto vitriolo, more omnium adstringentium, nigrescit & atramenti colorem induit. Aliterum, quod in complexu foetet elementum, est amarum, naturæ plane aperientis, quod unanimi Medicorum consensu, febribus perdomandis aptissimum, quandoquidem omnia fere amara, uti herba absynthii, cardui benedicti, fumariz, centaurii minoris, radix genianæ rubræ, lignum colubrinum, antifebrilia suppeditant præsentissima.

§. XXIII.

Accedit tertium chinchinæ ingrediens, naturæ admodum gratum, balsamicum scilicet, quod sapore & odore, non tam pulveris, quam potius ex prolecta destillationis ope aqua, nec non vini spiritu, manifestatur. Quartum demum elementum est terrestre fixum, peracta solutione & extractione conspicuum, quod quidem hucusque penitus ferme neglectum fuit, egregiæ tamen virtutis, ad corrigendam, obtundendam & involvendam materiæ febrilis, præsertim biliosæ, acrimoniam, eodem modo ac notum est, sola terrea, ut conchas, matrem perlarum, terram sigillatam & corallia, in sistendis febribus efficacia pollere haud spernenda. Agit igitur hoc simplex tota, ut GALENI loquendi formula est, substantia, & plura continet principia ad febres sanandas proficua, quæ rarius, vel plane nunquam, in ullo alio medicamento reperiuntur, eaque propter vehementer errant & falluntur ii, qui a sola facultate adstringente, febrifugum corticis Peruviani effectum derivare satagunt.

§. XXIV.

Hæc autem hætenus allata tam febrium theoria & pathologia, quam vera febrifugi nostri principia, expeditam monstrant viam, ad rectam intermittentibus medendi methodum, & quo pacto chinæ cortex cum bonis ægrorum rebus propinandus. Diximus scilicet superius, mineram, sive causam intermittentium materialem,

ex affluxu copiosioris corruptæ bilis & salivalis laticis
 maleque digestis alimentis constatam primis viis, & quam
 maxime flexuoso intestino duodeno, firmiter impactam
 hærere, ac inde successive certa quantitate ad interiora
 & nervosarum partium systema translatam, motus istos
 spasticos febriles concitare. Hinc utique in perfanatio-
 ne rationalis Medici intentio eo dirigenda, ut peccans
 hæc materia attemperetur, obtundatur, eliminetur ipsi-
 usque ulterior & largior affluxus ex glandulis d. cibus-
 que biliariis cohibeatur. Et his certe indicationibus pe-
 ritum corticis Peruviani usum, si non ex toto, tamen ma-
 xima ex parte, satisfacere posse, existimamus.

§. XXV.

Largimur quidem, minus proficuum esse hoc antife-
 brile, quando prima corporis regio, redundante vitioso-
 rum, præsertim viscidorum, acidorum & tenacium, suc-
 corum saburra obfessa, ut hos potius invisca: do magis-
 que immobiles reddendo, simulque adstrictiva sua vi al-
 vinam evacuationem supprimendo, multum noceat, ut
 tum quidem non modo materia febrilis retineatur, sed &
 dolores tensivi & anxietates circa præcordia augeantur,
 quemadmodum in his, qui diuturna laborarunt quartana,
 senibus inprimis & pueris, nec non oggesto crebrius &
 liberalius cortice, multoties vidimus. Quare tutius tum
 omnino & consultius est, hoc medicamentum vel plane
 omittere, vel non prius admittere, quam præmittis, quæ
 crassos, viscidos & tenaces humores attenuandi, inciden-
 di & per alvi secessum evacuandi facultate pollent. Me-
 rentur hoc nomine laudem ex salium familia deprompta,
 sal scilicet ammoniacum depuratum, sal digestivum Syl-
 vii, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal Glaube-
 rianum, Eb-hamense. Potissimum tamen in vincendis
 chronicis febribus spectata virtutis salia ex aquis medi-
 cati prolecta, ut Sedlicense & Egranum, quippe quæ
 paullo

paullo majori dosi, ad unciam scilicet dimidiam, vel unam, in sufficiente quantitate aquæ soluta & aliquoties pro circumstantiarum ratione oblata, a colluvie viscidarum sordium intestinorum canalem egregie expurgant. Magna quoque amarorum ad mucidos, tenaces & acidos succos incidendos, detergendos ac evacuandos facultas, quorum in numero celebria sunt extractum centaurei minoris, gentianæ rubræ, cardui benedicti, absinthium, rhabbarum, aloës rite prius correctæ & cicurata, quæ in lixivioso aqueo menstruo soluta & die vacuo, vel cum vino, vel cum spiritu vini oblata, egregie profunt. His autem præmissis, tum ad interceptum nimium humorum vitiosorum ad primam regionem confluxum, tum ad facilitandum perspirationis successum, cortex noster cum aliis, quæ operationem ipsius secundant, utiliter propinari potest.

§. XXVI.

Pari ratione ubi cruditates ex male digestis & corruptis cibis cum bile succoque salivali vitiatis, fomitem febris subministrant, & ratio dicitur, & experientia confirmat, liberandas, ante specificorum antifebrilium & roborantium usum, esse ab illuvie tam acidorum, quam biliosorum & corruptorum humorum, primas vias. Quod ut obtineatur, convenientissima sunt blanda emetica, vel *à la* simul & *à la* evacuantiâ, rejectis omnibus acrioribus drastis purgantibus & validis emeticis, quippe quæ ventriculo & nervosis partibus admodum infesta, vires deiciunt, & motus efferos potius intendunt, quam minuunt. Nos, quam hunc in finem commendemus habemus mannâ, cuius uncia una, vel duæ, cum uno, vel duobus tartari emetici granis, clementissime, satis efficaciter tamen, sursum ac deorsum evacuant, ac, ut multiplici compertum habemus experientia, egregie intentioni satisfaciunt. Et hoc facto, majori cum fructu & fe-

liciori cum successu, antifebrile nostrum usurpare licet.

§. XXVII.

Contra ea plurimæ dantur febrium species, ut biliosa, quartana & tertiana æstivæ, duplices, continuæ, gravibus & acerbis symptomatibus stipatæ, quæ plerumque post diuturnam præcalidam & siccam tempestatis constitutionem, a bile nimis intemperata, acri, calida & volatili incunabula trahunt. Ad hanc earundem materiam figendam, cicurandam, obtundendam ejusque copiosiore ad intestina affluxum impediendum, cortex china, præsertim in pulvere oblatu absorbentibusque ac nitrois remixtus, egregie ex usu est, eaque propter paucos post paroxysmos propinandus. Sic multoties, largas biliosas dejectiones, præsertim in corporibus bilioisæ naturæ & cholericæ constitutionis, felici admodum successu erupisse novimus, discedente paullo post penitus febre.

§. XXIX.

Quod quidem, sicuti experientia edocti scribimus; ita non minus eodem fundamento nitentes, de hoc cortice asserimus, quod perspirationem fuleiat ac promoveat, in quo, si non præcipuum, certe non minimum, intermittentes curandi repositum est momentum. Hæc enim, ut supra diximus, saluberrima evacuatio, quando supprimitur & sordes per eam evehendæ ad interiora recedunt, primordiale suppeditat intermittentiæ causam, eo magis, quo major restantium recrementorum biliosorum in sanguine & humoribus est proventus. Deinceps eadem hæc sordes, ob succedentem parcius & languidius die post paroxysmum vacuo hanc excretionem, copiosius denuo collectæ, palmariam repetentis paroxysmi causam præbent. Ipsæ recidivæ non aliam accedunt operationem, quam quod materia febrem movens extra-

præclusa, uti potissimum fit, quando superata vix febre corpus paullo liberius frigido & humido aëri, circa stagna aquarum, in humilioribus locis, & templorum concamerationibus, vel etiam borealibus ventis exponitur. Liberiori quoque æstatis tempore cuticularis excretionis successui tribuendum, quod æstivæ tertianæ & quartanæ facilioris sint sanationis, quam autumnales, quin, diuturnæ & contumacissimæ, etiam quartanæ, per autumnum, hiemem & ver affligentes, accedente solstitio æstivo, sponte, sine medicina, conquiescant. Hinc demum petenda ratio, quare, ut observationes fide dignorum auctorum confirmant, sæpe sola fortiori corporis, cursu, saltu, equitatione, ad sudorem usque exercitatione, nec non projecto in balneo sudore, aut largiori vini potu, intermittentes admodum rebelles expugnetur & abigantur.

§. XXIX.

Tanta utilitas tantaque necessitas huius evacuatio-
nis in febrium est curatione, eaque propter, quod etiam hoc nomine cortex noster laudem mereatur, penitus paullo evolendum. Videtur quidem huic facultati obstare virtus ipsius adstrictiva, qua cutis poros stringi potius & perspirationem sufflamini vulgo creditur. At vero non pure & positive adstrictivam, sed potius, ob admixtum amaricans & balsamicum ingrediens, roborantem virtutem nostro cortici adscribitur. Nam ut eminenti facultate adstringente dotata, cuius generis sunt aluminosa, vitriolica, & ex vegetabilibus radix tormentillæ, bistortæ, si convenienti tempore & regimine in intermittentibus usurpantur, non penitus spernendam habeant efficiam, præsertim quando post eorum usum decoctum vel infusum calidum superbibatur & fortiter corpus morâ exercetur; sed tamen longe alia est ratio, natura & virtus roborantium, quæ non tam terrea, constringente,
quam

quam potius simul balsamico, amaro elemento, in solidas corporis nostri, a tono deiectas partes agunt, iis robur, tonum atque vigorem & potentiam morricem conciliando, ut motus fluidorum catholicorum vitalium, qui potissimum a solidorum motu pendet, per compagem corporis mare vasculosam, promptior, citatior & expeditior fiat; quem nunquam non major & auctior per insensilem transpirationem, impuratum excretio, summo cum fructu sequitur, ut longe tutiora sint puris adstringentibus. Et profecto, quæ ex remediorum genere roborante & subadstringente paulisper balsamica virtute splendens simplicia, in morbis longis & difficilibus perfandis, magna præstare solent, & aliis longe superiora sunt. Hinc enim est, quod decoda herbarum quæ vulnerariæ dicuntur, ut sunt nominatim fragaria, sanicula, melissa, agrimonia, veronica, scabiosa, marrubium, pulmonaria, hepatica, scolopendrium, nummularia, plantago, millefolium, consolida Saracenicæ, flores bellidis, hyperici, muscus pulmonarius, polychrestam & mirabilem certe, non tantum in vulneribus consolidandis, verum etiam longis insanabilibus fere morbis, cachexia, phthisi, scorbuto, istero, hæmoptysi, atque identidem febre quartana, sanguinem depurando, viscera obstructa referando, nec non excretionibus languidas promovendo, exserunt effectum, quæ tamen non proxime in fluidas partes, earum vitia corrigendo, sed potius in solidas, tonum & robur restituendo agunt, atque sic operationem suam exserunt. Neque nostro tempore, singularis corticis chaccarillæ virtus, qui paullo calidioris & plus, nostro cortice, balsamicæ naturæ est, in sistendis nimis alvi fluxionibus, etiam dysentericis, ignota est, qui cortex etiam decenter usurpatus in febribus intermittentibus, item lentis, quæ ex stomachi & digestionis vitio proveniunt, curandis, non sperendam opem confert.

§. XXX.

Est itaque tam salubris & spectata corticis chinae virtus, ut roborando solidorum tonum, circulum sanguinis, excretiones, maximeque insensilem per cutis spiracula, egregie promoveat, eaque propter per ipsam experientiam confirmatum habemus, ab eius usu, mox virium accedere augmentum, vigorem corporis & animi restitui, appetitum antea emortuum resuscitari, cum omnimoda paroxysmorum febriliam cessatione. Observarunt etiam hos insignes & eximios effectus alii præclari Medici, cuius rei testes citamus LISTERVM, BOHNIVM, SYDENHAMVM, DECKERVM, BERGERVM, IONES, MORTONEM, D^r AQVIN, qui unanimi suffragio testantur, quod cortex egregie ventriculum roboret, appetentiam acuat ac deficientem corporis calorem excitet, vires reficiat, nec solum perspirationem promoveat, sed etiam urinam, subindeque alvum, præsertim si recens sit, moveat. Et perite demum adjiciunt: omnes, qui cortice infebribus hoc effectu usi, a febre liberos mansisse, nec ullo inde oriente symptomate atque incommodo fuisse afflictos. Monendum tamen, has tam egregias operationes, non a sola excretionem cuticulari audivas derivandas esse. Nam non modo pluries a nobis observatum est, sub largo etiam & continuo diebus vacuis sudore, paroxysmos nihiloscitius repetisse, nec vires, nec appetitum, inde accepisse incrementum, sed & ipsa experientia compertum est, ea, quæ sudorem movent efficaciter, ad sistendos febriles paroxysmos, non adeo esse apta atque conducibilia. Ingens quippe est differentia, inter sudorem, qui sæpius a virium prostratione & dejecto cutis tono provenit, & inter perspirationem audiorum, quæ ex vegetiori ac celeriori sanguinis per univsum corpus circuitu, ex pulsuum vigore & æqualitate dignoscendo, resultat. Et hæc non tam positive sudori-

feris, motum intestinum calidum in sanguine cientibus, procuratur, quam potius iis, quæ tonum solidorum, cordis vasorumque deiectum fulciunt & adducunt, quorum in numerum noster quam maxime referendus est cortex.

§. XXXI.

Neque etiam nostra fert sententia, semper & omni tempore unicum hoc nostrum præsidium, roborando, & circulum sanguinis, & perspirationem augere, in iis, qui febre laborant, sed utique opus est, ut corpus sit dispositum, viæ & excretoriorum tubuli patuli, nec spasmò constricti, humores tenues & fluxiles, non crassi, viscidi & immobiles, ipsius quoque remedii virtus integra, nec a vitiosis primarum viarum succis obursa aut enervata. Eadem enim corticis nostri est ratio, ac marzialium bene præparatorum, quæ itidem adducendo solidorum tonum, sicque universum sanguinis & humorum progressum promovendo, egregios quidem in longis ac rebellibus morbis expugnandis præstant effectus, non tamen semper & absolute tales, sed tunc demum, quando & solidorum, & fluidorum, apta & conveniens est ad aperendum & excretionum successum dispositio. Atque adeo quum roborando perspirationem moveant ex marte confecta, in proclivi est ratio, quare flores falsi ammoniaci martiales, nec non cum hæmatite parati, in pulvere, vel cum spiritu vini in essentiam redacti, crocus martis tenuissimus, limatura martis in rubiginem versa & in subtilissimum pollen comminuta, ad compescendos, immo tollendos febriles motus, eum prudentia usurpata, idem fere ac chinæ cortex, præstare soleant, contra vero quando empirice, nulla corporum, naturarum, circumstantiarum & temporis ratione habita, ingeruntur, noxam inferant non levem.

§. XXXII.

§. XXXII.

Quæ quum ita sint, speciosum omnino videtur dubium, vel monitum: tutius forsan esse famæque & conscientia Medici magis conducibile, tam in quorumvis morborum, quam speciatim intermittentium medicatione, penitus ab eiusmodi remediis, quæ tam exactam in applicatione, ne noxam inferant, exigunt circumspeditionem, abstinere, & potius præcipuum sanationis negotium naturæ committere, adhibitis duntaxat iis, quæ humorum intemperiem corrigunt eisdemque mobiles ac fluxiles reddunt. Sed tenendum utique, non semper tuto & cum bonis ægrorum rebus hoc fieri posse. Docet enim experientia, adeo rebelles & infensas nonnunquam esse intermittentes, ut observato quantumvis exquisito regimine, adhibitis quoque tutis & selectis remediis temperantibus, diluentibus, blande evacuantibus & diaphoresin finito paroxysmo elicientibus, nihilo tamen secius per complures menses, quandoque integrum annum & longius perdurent, corpus emacient viresque penitus deliciant. Quin, licet his febris vehementia tantisper fracta fuerit, ob magnam tamen diurnitate inductam imbecillitatem, quæ CELSI effato omnibus morbis patet, accedente levi in vitæ victusque ratione errore, ex facili vel febriles motus, leviores quidem, recrudescunt, vel alii morbi, præsertim si copiosior cibus ingestus, cachexia febrisque lenta pullulant, ut etiam, qui minus favent huic nostro febrifugo, ipseque BAGLIVVS l. c. fieri cogantur, in fine, quando febris vires per longum tempus contriverit, ad ventriculum totumque corpus roborandum, nostrum usurpari posse corticem. Ne dicam divites, Magnates & delicatæ impatientis naturæ ægros, promptam exposcere opem & diurnitate temporis obtinendam spontaneam sanationem penitus respicere. Et certe multi & magni morbi, præsertim qui ex abundan-

tia & impuritate succorum succrescunt, sine medicina, sola abſtinentia & inedia, feliciter arceri poſſent atque ſanari, ſed quia plures has moleſtias ſubire recuſant, venæſectio in auxilium vocanda, abſtinentia longe intutor. Providendum igitur, ut modo ſine noxa fiant omnia.

§. XXXIII.

Aliud, quo multi, etiam periti Medici, corticem noſtrum ſuſpectum reddere nituntur, argumentum eſt, quod eiusmodi conſtringentia & roborantia motus & paroxyſmos febriles ſuſpendant quidem, cauſam vero & materiam febris non tollant, quæ poſtea vel recidiva, vel novos peiores morbos inducat. Verum ſuperius iam evicimus, ita comparatum eſſe chinæ corticem, ut, ſi recte, debito ordine aliisque accommodis remediis nuptus, uſurpetur, febris etiam cauſam tollat, promovendo nempe perſpirationem deſtructuramque tonum reſtituendo. Ad hæc incidunt ſæpe caſus, ubi motus morboſos, etiam febriles, relicta tantisper cauſa, compeſcere & ad tempus tollere expedit. Tam atrociter enim quandoque ſæviunt paroxyſmi in tertiana, v. c. continua & duplici, ut conſumtis ob vigiliam & iugem æſtum nimium viribus, corpus morbo diutius ſuſtinendo vix amplius pariſit. Heic omnino utile, immo neceſſarium eſt, infeſtos hos motus ad tempus ſuſpendere, quo maiori cum fructu ad tollendam febris cauſam applicari poſſint remedia, tam corrigentia, quam evacuantia, quæ ſub tanta inſultus febrilis vehementia, & turbata plane tamdiu motuum & functionum naturalium œconomia, vel nihil proficiunt, vel contrarium proſus interdum exerunt effectum.

§. XXXIV.

Maioris momenti, ad evertendum chinæ uſum, videtur quorundam aſſertum: teſtari quotidianam fere experientiam, multos inde in graves, immo funeſtos & immedicabiles morbos, fuiſſe præcipitatos, hecticas ſcilicet &

& lentas febres, cachexiam, hydropem, patherata spasmodica, hypochondriaca, hysterica, quin, pueros praesertim, convulsivos plane & epilepticos motus. Iam neutiquam quidem negamus, infelices admodum passim in febrium curatione observari effectus, si febrifugum nostrum minus perite usurpetur. Sed quis est, qui nesciat, summæ efficaciam praesidia, venæsectionem, emetica, purgantia, opiata, mercurialia & martialia, item ex auro & antimonio parata, nec non salia volatilia animalium, balnea Laconica & medicamenta spirituosa, si empirice & non cum iudicio atque discrimine in usum trahuntur, perniciem noxasque inferre posse lethales plane. Nemo tamen facile hanc inde formabit conclusionem: ergo hæc omnia medico usu carent & prorsus sunt reiicienda; ita potius argumentandum: quia tam prompta ad iuvandum, quam nocendum hæc generosa sunt remedia, ergo recte iisdem utendum. Longe maiori vero iure eadem argumentatio valet in usu nostri corticis, qui ne quidem his magnæ activitatis remediis accensendus. Illa quippe in complexu suo quippiam fovent, quod exili mole subito ingentes in corpore suscitatur mutationes, hic autem non, sed si effectum exserere debet, maiorem molem, ad uncias aliquot, successive sumendam, exigit. Neque etiam adversum naturæ humanæ remedium esse corticem chinæ, ex eo recte colligitur, quod in morbis, ubi vires imbecilles nervorumque systema affectum, eximio cum fructu exhibeatur, ac ob id non modo in febribus, sed & experientia teste, in alvi fluxu, vomitu, dysenteria, malo hypochondriaco, hysterico & podagricis doloribus, ad firmandum ventriculi, intestinorum & nervosarum partium tonum, apprimè ex usu sit.

§. XXXV.

Demum id quidem omnes fere concedunt, superata propemodum naturæ auxilio febre, ad compefcendos,

qui in habitum & consuetudinem abierunt febriles motus, febrifugum nostrum nonnullius esse usus; quod vero statim in principio, post unum vel alterum paroxysmum tuto in usum vocari possit, pernegant maxime isti, qui naturam febre tanquam remedio sapienti consilio uti censent, ad amolendas causas quæ vitæ periculum strunt, persuasi, optimam & salutarem naturæ intentionem hac ratione turbari. Sed supervacaneum plane esse hunc metum, experientia, optima medicarum etiam veritatum magistra omnibusque ratiociniis superior, luculenter admodum docet. Nobis certe innumera fere nota sunt exempla eorum; qui tertiana epidemica gravibusque symptomatibus invadente correpti, hac methodo tam feliciter sanati, ut expurgata, post tertium vel quartum paroxysmum, per superiora & inferiora, efficaci medicina, corporis regione, altero post die antifebrile ex cortice chinæ electuarium, congrua dosi, ordine ac tempore, sumserint, & hoc facto, post quartam vel quintam statim accessionem, nullam amplius experti sint, sed perfecte cum sanitate in gratiam redierint, præsertim, quando post huius medicaminis usum, corporis exercitatione perspirationem auctiorem proritarunt & medicamenta roborantia stomachica simul usurparunt. Atque etiam id ingenue affirmare possumus, nos frequentiori observatione didicisse, & longe difficiliori negotio, & longe maiori cautione, corticem nostrum febrî opponi, ubi hæc aliquandiu per aliquot hebdomades, vel menses, corpori inhæsit, quam ubi haud ita pridem illud invasit; eo quod, quo diuturnior febris est, eo maior recrementorum ex dissolutione sanguinis, per motum calidum intestinum, nascitur copia, quæ postea ægrius & corrigitur, & educitur.

§. XXXVI.

Idem nobiscum censent præstantissimi in arte viri,
inter

inter quos nominasse sufficiet BOHNIVM, qui peculiari *dissertatione de fuga februm minus suspecta*, id pluribus adstraxit, nec non BERGERVM qui in citata superius docta *dissertatione, de chinchina ab iniquis iudiciis vindicata*, ita apprime ad veritatem §. 9. scribit: *non possum probare vulgari medicorum cantilena seductam SYDENHAMI cautionem, ut ne præmature nimis, antequam febris ipsa suo se Marte aliquantis per protriverit, in usum hic cortex ducatur, ne ægotantis vitu periclitetur, si sanguini omni fermentationis nisu se despumanti, de repente remoraminiciamus.* Rectius PADVS, DONZELLVS, LISTERS, MORTONVS, IONES & maxime BOHNIVS, docent, præmissis quidem, si opus fuerit, evacuationibus, ac præsertim emeticis, mox ineunte morbo & antequam febris radices egerit & succos visceraque ac vires corporis labefactarit, usu corticis vires illius feliciter frangi & atteri. Hic nec recidivarum, nec illorum metus est malorum, quæ BAGLIVS usui corticis adscribit, quum potius febris perverse curationi & corporis impuritati debuisse causam dare, quia recto corticis usu egregie adiuvantis, causam illorum malorum una cum febre tolli, & ratio suffragatur, & experientia monstrat, ita, ut laudatus BOHNIVS testetur, innumerabiles fere, quibus, ab initio morbi, corticem præbuerit eoque febrem sanaverit, nihil damni percepisse.

§. XXXVII.

Ad rectum igitur, securum & efficacem huius medicamenti in febribus debellandis usum stabilendum & confirmandum, annectemus ultimo loco salutares quasdam cautiones & præceptiones, quibus rite observatis, non facile quispiam cortice nostro nocebit.

I. Chinæ cortex non est in usum trahendus, nisi evacuatis primis probe, sive per superiora, sive inferiora, fordibus & cruditatibus ex prima corporis regione,

❖ ❖ ❖

nisi

nisi apertis viis, contemperatis prius & mobilioribus factis atque ad exitum præparatis peccantibus in sanguinis & humorum massa succis, iisdemque tam per urinarias vias, quam cutis spiracula expulsi. Hunc in finem conducibilia sunt absorbentia terrea, salia neutra, nitrosa, diluentia, fontium medicatorum potus, leniora evacuantia ex manna, rhabarbaro, cassia, cum, vel sine aliquot tartari emetici granis, pilulæ balsamica ad mentem BECCHERI confectæ, diluentia, infusa theiformia. Et horum usus, vel brevius, vel longius, ex consilio Medici insistendum, pro varia humorum, viscerum & corporum laborantium constitutione, præmittendo tres, quinque septem, ac in repletis & impuris corporibus, plures paroxylmos.

II. Neque etiam facile cortex exhibendus, nisi paroxysmus discedens sudore terminetur & urina intermittente die sedimentum ponat.

III. Quod si incidit, febre iam per aliquot menses ægrum fuisse detentum, ante febrifugi usum, inquirendum in naturam humorum, dispositionem viscerum, excrementorum & excretoriorum statum, nec ne in quæ medicamenta antea adhibita, ac tum pro circumstantiarum ratione medicationem tam præparatorio, quam curatorio scopo accommodam, instituere expedit.

IV. Maiori cautione opus est, vel corticis usus plane omittendus, si corpora viribus exhausta, animi affectibus obnoxia, senilia & viscera infarctâ cachecticum statum produunt, si ægrotantes pathematibus spasmodicis, hypochondriacis, hystericis & criticarum hæmorrhagarum suppressione laborant, si vacuis etiam diebus spasmi non penitus silent, sed alvus adstricta, præcordia anguntur, sudor nullus, urinæ crudæ & tenues, hypochondria tumida & pedes œdematosi. Hæc enim si præsto sunt, expedit potius febriles motus blande moderari,

derari, donec ipsi, vel loci mutatione, vel aëre acceden-
te sereno calido, conquiescant, vel potis, ex medentis
consilio, thermis, aut acidulis, penitus abigantur.

V. Pariter in quartana diuturna, si per semestre spa-
tium afflixit, corpus inde enervatum & frigus cum an-
xietate magnum urget, tutius abstinere ad tempus a
cortice eundemque reservare tempori, curationi accom-
modo.

VI. Ipse cortex optime redigitur in electuarium,
quod efficacius & magis ad palatum, quam pulvis. Huic
vero pro natura & differentia ipsius febris, corporis la-
borantis & humorum peccantium, partim diaphoretica,
partim roborantia & resolventia admiscenda. Sic Dn.
PRÆSES in tertiana valde biliosa electuario hunc in
modum confecto uti suevit: recipe rob sambuci unciam
unam, corticis chinæ drachmas sex, extracti florum
chamomillæ vulgaris, nitri depurati, antimonii diaphoretici,
sive cerussæ antimonii, singulorum drachmam, iule-
pi rosarum, quantum sufficit. M. In febre autumnali &
chronica: recipe rob sambuci uncias duas, corticis chi-
næ unciam, extracti cardui benedicti, salis absynthii, ce-
russæ antimonii, pulveris cascarillæ ana drachmam unam
cum dimidia, sirupi corticum aurantium quantum sa-
tis est. M. In febre quartana: recipe rob iuniperi, sambu-
ci, pulveris chinchinæ ana unciam unam semis, extracti cen-
taurii minoris, salis ammoniaci, cerussæ antimonii singu-
lorum drachmas duas, balsami vitæ Hoffmanniani gut-
tas XXX, spiritus salis ammoniaci vinosi tantundem. M.

VII. Ita concinnatum electuarium, non paroxysmi,
sed vacuo, & in tertiana quoque continua, remissionis
tempore, propinandum, ita quidem, ut duabus, vel tri-
bus quibusvis horis, una, aut duæ ipsius drachmæ deglu-
tiantur, bibendo postea, in tertianis biliosis, aquam flo-
rum sambuci, in autumnalibus, vinum Rhenanum, in

quartana Hungaricum, & mane, nec non post meridiem; forbillando infusum theiforme, detinendo simul corpus in temperate calido loco; illud ab omni frigore defendendo & abstinendo a piscibus, carnibus & crassæ materiæ cibus.

VIII. Secundar quoque febrifugi nostri operationem motus & exercitatio corporis, qua saluberrima ad febris curam perspiratio insigniter promovetur.

IX. Insistendum curæ per unam minime hebdomadam, deinde sublato paroxysmo & appetitu redeunte, semel quotidie, ac demum alternis diebus, dosis capienda.

X. Durante usu, quando alvus adstricta, ea primum non nisi clystere emolliente & leniter stimulante officii admonenda, non vero tentanda per purgantia, ne recidivæ accedant, eo quod horum usu perspiratio retrahitur & humorum excrementiorum affluxus ad intestina revocatur. Postea vero magna cum cremore tartari locum habere potest, nec non pilulæ balsamicæ Becherianæ, Stahlianæ, vel nostræ; cum sale quodam aperitivo, intermedio tempore & sub finem propinatæ, ita tamen, ut post alvi subductionem, semper iterum exhibeatur dosis electuarii.

XI. Discedente demum penitus febre, corpus ali-quandiu in libera perspiratione adhuc servandum, ær gelidus, venti boreales & septentrionales, nec non omne externum frigus, loca humida, vappida vitanda, & usurpanda elixiria amara, stomachica, roborantia, uti est elixirium *Dn. PRÆSIDIS* in notis ad *Poterium* descriptum, elixirium stomachicum MICHAELIS, quæ mane, vel in prandio sumta, non modo ventriculum roborando, sed & excretionem per cutis poros fulciendo, egregie profunt.

XII. Vbi vero teneriora sunt corpora & spastici in
ven-

ventriculo motus urgent, tutius corticis in electuario & pulvere usus omittitur, isque in essentia, liquori anodyno & balsamo vitæ Dn. PRÆSIDIS remixtus, rectius offertur. In quartana quoque nonnunquam meliori cum successu in infuso cum vino, adiectis amaris, exhibetur.

XIII. In genere autem tenendum: quod, si usurpato antifebrili nostro, succedens proxime paroxysmus minuatur, vel sileat plane, plenaria expectanda sit sanatio; contra, quando is eadem persistat vehementia & præterea pressorius in stomachi regione observetur dolor, consultum magis est, desistere ab usu & curam differre.

§. XXXIIX.

Atque hæc sunt, quæ in præsentiarum exponere placuit, cum maxime in finem, quo omnibus constaret, chinæ corticem, non tam suspectum & pertimescendum in febribus aliisque morbis esse remedium, ut perperam a quibusdam creditur, sed tutum, efficax & innocens, modo accedat medens, qui cum iudicio & ratione sua perficiat, nec ea propter noxam subinde emergentem medicamento, sed vel perverso usui, vel erroribus ægotantis, vel etiam neglectæ reliquiarum remotioni, merito esse tribuendam. His autem, qui præcepta rationalis Medicinæ non ad amissim callent, auctor suasorque est Dn. PRÆSES, ut ab omnibus heroicis pharmacis, & hoc etiam cortice, penitus abstineant, quo tutius & innocenter suam exercere possint Empiriam.

F I N I S.



FAma loquax Vatis vulgavit nobile
dictum;

Non procula proprio stipite poma ca-
dunt,

Est, Bornmanne, Tibi, præclarus san-
guinis Author,

Qui magnum medica Nomen in Ar-
te gerit.

Legisti cum laude Patris vestigia chari,
Teque suo crudiit Docta Minerva
sinu.

Sic nunc Laurus opus felici sine coro-
nat;

Accipe: Nam dignis præmia dan-
tur ea,

GEORG. DAN. COSCHWITZ.

M. D. An. Chir. & Bot, P. O.

